





LVII.

DISSERTATIO JURIDICA,
DE
SUCCESSIONE
COLLATERALIU SECUN-
DUM JUS CULMENSE,

17
1706,1

Quam

AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE, ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HAEREDAE, &c. &c. &c.
SENSU AMPLISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE,
IN ACADEMIA ALBERTINA,

SUB PRAESIDIO

*VIRI PRÆNOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI
ET CONSULTISSIMI*

DOMINI JOHANNIS Dmseln

J. U. D. & P. P. Judic. Criminalis Assessoris & Judic. Aulici

Advocari famigeratissimi,

PATRONI & PRÆCEPTORIS VENERANDI,
publicè defendet

JOHANNES PERSCHKE, Mariaeb. Pruss.
AUTOR.

IN AUDITORIO MAJORI
Die 17. Decembris Anno M DCCVI.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.



PATRIÆ CIVITATIS MARIÆBURGENSIS
PATRIBUS BENE MERITIS

VIRIS

*PRÆ-NOBILIBUS, NOBILIBUS, AMPLISSIMIS
SPECTATISSIMIS ac HONORATISSIMIS*

DOMINIS

PRÆ-CONSULIBUS,

CONSULIBUS,

SCABINIS,

ET

SECRETARIIS.

*DOMINIS PATRONIS ac MÆCENATIBUS SUIIS SUBMISSO VENERA-
TIONIS CULTU AETERNUM PROSEQUENDIS*

paucas hæc pagellas obsequii contestandi gratiâ,
eum ardentissimo perpetuæ prosperitatis
voto

offert

JOHANNES PERSCHKE,
AUTOR.



IS
S
A-
2,
7

In: Germ.
5.

85 - 105
P - Schneider

f



Specimen aliquod studiorum editurus facile per-
 spexi tale mihi *Thema* eligendum esse, quod *mo-*
ribus patrie congruens utilitatem quandam in vita
 civili haberet. Quemadmodum enim circa in-
 utilia operosum esse speciosa quædam ignavia est; ita ple-
 rumque, dum circa nimis dissita versamur, obvia quævis
 non sine aliqua negligentia nota præterire solemus. Nec
 verò multum proderit accuratè nosse, quid ante tot *Secula*
Roma aut *Constantinopoli* usu receptum fuerit, si interim nescia-
 mus quid nunc in *patria* Juris obtineat. Quin tales potiùs
 non minorem mihi censuram mereri videntur, quam pe-
 regrinantes illi, qui in peregrinis domestici, in patriis pere-
 grini revertuntur. Id ego ut evitarem, sedulò mihi incum-
 bendum esse putavi, ut principiis Juris Romani utcunq; per-
 lustratis, ad *Patria Jura* cum istis conferenda me accinge-
 rem, ut, quibus in partibus conveniant, quibus verò discre-
 pent, maturè mihi innotesceret. Placuit verò speciminis lo-
 co præ aliis *materia successionum* ob utilitatem & fertilitatem
 suam. Quod si tamen thematis dignitati non ex asse satis fe-
 cere, veniam ætatis exopto, totusq; confido, fore, ut *B.L.*
 defectus disputationis hujus benevolentia sua suppleat.

S. I.

De *Succeſſione Collateralium* acturi, omnes *ſucceſſionum*
 diſiſiones & acceptiones enumerare velle, nimis prolixum &
 ab instituto nostro alienum foret. Sufficiet igitur breviter
 notasse, dupliciter imprimis in jure accipi vocem *Succeſſionis*,
Conf. Dn. Rebhan Hodeget, Juris chart. 3. Clim. 2. p. 308. vel
 pro *Succeſſione ſingulari*, ſi res quædam ex titulo ſingulari,
 velut empti venditi, donationis, permutationis &c., in alium
 translata fuerit, vel pro *Succeſſione Uniuerſali*, ſi quis in ju-
 ra & bona defuncti vel ex asse vel ex parte quadam ſuccedat.

A

Uni-

Universalis Successio iterum duplex est vel *Testamentaria*, vel *ab intestato*; & hæc ultima, pro triplici cognationis linea in successione *descendentium*, *ascendentium* & *collateralium* sponte sua dispescitur. Omnis enim generis ab intestato successio tribus cognoscitur gradibus, hoc est, ascendentium, descendentium & ex latere, loquente sic ipso Imperatore in *pr. Nov. 118.*

§. II. Collaterales autem dicuntur, qui defuncto in linea transversa conjuncti sunt, unde quoque cognati ex latere in jure vocantur *cit. Nov. 118. pr. & l. 10. §. 8. ff. de gradib. & affin.* Horum successio, æquè ac reliquorum hæredum ab intestato, præsumptâ defuncti voluntate & affectu nititur. Cum enim postmortem nemo dominium bonorum suorum retinere possit; nec credibile sit, ipsum, licet nullam voluntatis suæ testationem edidisset, bona sua primis occupantibus diripienda exponere voluisse, igitur bona ejus esse intelliguntur, cui defunctus vel maxime favit, vel ex officii ratione favere debuit. *conf. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 3. seqq.* Licet vero fieri possit, ut quis *amicum extraneum* impensius amavit, quam quidem *proximum suum* cognatum, adeoque hæc præsumptio à vera defuncti voluntate sæpius aberret; pacis tamen publicæ interest ad litium multitudinem præsciendam, ne talis *extraordinaria conjectura contra communem* admittatur. *Puffendorff de J. N. & G. lib. 4. cap. 11. §. 2.* Imò licuit defuncto in tali casu expressâ singularis & extraordinariæ suæ affectionis indicia contestari, quod dum non fecit, creditur id de sua successione statuisse, quod lex aut mos populi habet. *Grot. cit. loco §. 11.* Debiliior tamen & ob lineæ transversalis varietatem quodammodo incertior est hæc præsumptio in successione collateralium, quàm in ascendentibus & descendentibus, utpote quibus saltem quoad *legitimam* firmius quoddam Jus competit, quod

quod ipsis non æquè accognatis à latere per contrariam de-
functi dispositionem eripi potest. Hinc est, quod non mo-
dò Jure Civili tam diversæ de successione imprimis collate-
ralium sanctiones extent, sed cujusq; ferè loci statuta, sin-
gulare quid præcipiant.

§. III. Nos dispositionem *Juris Culmensis* lustraturi non
absre futurum existimamus si pauca de hoc Jure præmiseri-
mus. Nomen illud habet à *Civitate Culmensi* quæ prima
omnium à Crucigeris in Prussia Anno 1232. condita fuit.
Huic Civitati ut & reliquis in districtu Culmensi urbibus ex-
tructis & postea extruendis ab *Hermanno de Salza*, Magistro
ordinis Generali & *Hermanno de Balke* Magistro Prussiæ Pro-
vinctiali per expressum privilegium quod Culmense audit
Anno 1233. die 5. Calend. Jan. usus Juris Magdeburgici con-
cessus fuit, conf. Excell. Dn. D. Hefl in disput. *de usu & auto-
ritate, Juris Romani in foris Prusie Ducalis* §. 1. ubi verba pri-
vilegii huc facientia recensentur. Videre id quoq; licet ex
initio Juris Culmensis quando *lib. 1. Tit. 1. cap. 1.* dicitur:
Da man die Stadt Culm zum ersten besahte / da
gab man ihren Einwohnern Magdeburgisch Recht.
Culmenses igitur & postmodum reliqui quoq; Prulli non
modò causas suas Scabinis Magdeburgensibus decidendas
sapissimè transmittabant, sed magno cum studio responsa eo-
rum etiam aliis in locis promulgata colligebant, ex quibus
deinde, ut & ex speculo Saxonico & Jure Weichbildico sive
Magdeburgico, Jus Culmense conflatum est. In causis ta-
men hæreditariis & ad successionem pertinentibus conces-
sum ipsis fuit Jus Flamingiale *Die Flämische Erb-Serech-
tigkeit* / unde est, quod hac in parte Jus Culmense sæpe à Ju-
re Magdeburgico recedat. Quid vero sit Jus illud *flamin-
giale* de eo prolixè differit celeberrimus Hartknoch *Dissert.
de Jure Prussorum* §. 5. ubi præcipua ejus capita refert, tan-

A 2

demque

4
demque eoncludit esse illud nihil aliud, quàm Jus quoddam
Flandricum quod primùm in provinciis plerisque Belgicis,
exceptâ Frisiâ, post verò in multis aliis Germaniæ districtibus
receptum fuit. Cæterum cum Jus flamingiale magis con-
suetudine quàm scriptâ aliqua lege constaret, Prussi quoq;
in quibusdam patrios mores retinerent, & urbibus plebiscita
condere permissum esset. *Jus Culm. cit. loco. verbis:* Ver-
möge welehem was daran abgangen sie ferner bey ihrer
eigenten Willkühr gefunden haben: hinc maxima Juris
incertitudo orta, adeò ut nunquam in certum ac firmum ali-
quod corpus redigi potuerit. Inter varia autem *Juris Cul-*
mensis edita exemplaria, primas tandem obtinuit illud, quod
à Clarissimo Dn. Gregorio Hesio J. U. D. & Præconsule Mariæ-
burgensi sub initium præteriti seculi adornatum fuit, quod
nunc quoq; non modò in patria obtinet, sed *Gedani* quoque
& in aliis *Civitatibus Prusiæ* occidentalis minoribus usu fre-
quentatur, teste Hartknoch *l. c. §. 10.* quare & nos eòdem in
disputatione hac conscribenda usu sumus.

§. IV. Ut ad rem accedamus, non exigua diversitatis
inter Jus Civile & Culmense circa *successionem collateralium*
ratio in eo consistit, quod Jure Culmensi in *linea transversa*
non obtineat *Jus representationis*, quod secus de Jure Roma-
no. Quanquam enim legibus Duodecim Tabularum fra-
ter potior haberetur præ alterius fratris filii §. 5. *Instit. de*
legit. agnat. success. illud tamen deinde à Justiniano fuit im-
mutatum, fratrumq; liberi, concessò ipsis Jure representatio-
nis, cum fratribus simul ad successionem admitti in st rpes, ut
tantundem acciperent, quantum ipsorum pater superstes ac-
cepturus fuisset. *Nov. 118. cap. 3.* Gravis verò inter Dd. est
eontroverfia, an hoc Jus etiam tunc liberis fratrum compe-
tat, quando nullis existentibus fratribus inter se soli succedunt?
Nobis negativa probabilior videtur. Expresè enim Justi-
nia-

nianus hoc Jus in citata Novella privilegium vocat, & jam supra monitum fuit illud contra Juris antiqui & LL. duodecim Tabb. rationem concessum fuisse; at vero talia ad consequentiam produci nequeunt *l. 14. ff. de LL.* præsertim cum Imperator ipse *in cit. Nov.* restrictivè dicat: *tunc* hoc beneficium fratrum filiis competere, quando cum propriis *Thiis* judicantur, cujus vocabuli explicationem & applicationem vide apud Struv. *exerc. 38. th. 33.* Præterea, quoties soli inter se ad patruï successionem vocantur, non jure parentum, sed proprio succedunt, quare nec opus habent jure representationis. Confer, Illustr. Dn. Andreas Lipski *in observ. practic. Cent. 1. observ. 66. it.* Stryckius *in Tract. de S. ab Int. Diff. 3. cap. 1. §. 2.* Böhmer *in introduct. in Jus Digest. Tit. de modo succedendi ab int. secund. Nov. 118. §. 13.* Suttholtt *Dissert. II. §. 72.*

§. V. Interim de *Jure Culmensi* hæc controversia cessat, quia illud *Jus representationis* in linea collateralis ignorat. vid. Dn. Hopp. *in Comment. ad Inst. Tabula de success. collat. Statut. sub Jure Culmensi. it.* Schubæus *in Tr. von Erbschafften/ Tit. von Erben der Seiten Linien. Rubrica Culmisch Recht.* Quod ipsum *Jus Culmense* cum *Jure Saxonico* commune habet Stryck, *de succ. ab Int. Diff. 3. c. 3. §. 3. it.* Lipski *cit. l. observ. 65. n. 3.* Unde fratrum liberi *Jure Culm.* non concurrunt cum *Thiis* suis ad hæreditatem defuncti patruï, sed ab illis excluduntur, quod disertè sancitum reperitur in *Jure Culm. lib. 3. tit. 9. c. 11.* Stirbet einer und läßt Brüder oder Schwestern von voller Geburt und seines Brudern Kind/ so seynd die Brüder und Schwestern näher das Erbe zu nehmen/ denn des Verstorbenen Bruder Kind. Si vero inter se soli concurrant non in stirpes, sed in capita succedunt. *J. Culm. l. c. cap. 15.* Stirbet einer und läßt eines oder mehr seines Verstorbenen Bruder Kinder an einem/ auch eines oder mehr seiner Verstorbenen

Schwester Kinder ant andren Theile / und läßt darzu Erbe und Eigen / so erben sie alle zu gleichen Theilen nach Persohnen Zahl in capita und nicht nach den Stämmen.

§. VI. Ex dictis facili negotio deciditur quæstio illa an fratrum filii defuncti patris præferantur, an vero simul cum illis succedant? Jure Civili res non omni dubio caret. Huberus enim in prælect. ad Inst. Tit. de success. ab int. secundum Nov. 118. n. 15. it. in posit. Juris. pos. 40. defendere conatur, eos simul admittendos esse. Fatetur tamen contrariam sententiam, qua statuitur, fratrum filios patrum defuncti excludere, & magis communem, & usu fori corroboratam esse; pro qua facit non modò cit. Nov. 118. cap. 3. (verbis: quia thii defuncti masculis & feminis sive à patre sive à matre præponuntur) sed etiam Auth. post. fratres C. de legit. hered. vid. Dn. Stryck. cit. l. cap. 1. §. 13. Sutthollt. Diff. 11. §. 71. & Struv. Syntagm. Juris Civil exerc. 38. th. 33. Jure tamen Culmensi prior sententia recepta. Cum enim secundum hujus dispositionem, si nulli fratres aut sorores existant, indistinctè secundum graduum proximitatem succedatur, J. Culm. lib. 3 t. 9. cap. 10. Fratrum verò liberi cum patruo in pari gradu sint constituti, nec istis Jus repræsentationis competat, nihil aliud superest, vi cujus patrum à successione repellere queant, ideoq; simul in capita succedunt. cit. loco cap. 14. Des Vatern Bruder und der Schwester Kind die ungezweiet sind vom Vater und Mutter seynd gleich nahe Erbe zu nehmen. Quæ sententia etiam Juri naturali convenientior, cum patruo ob defuncti patrem hæreditas tenuior extiterit. Puffend. de J. N. & G. lib. 4. cap. 11. §. 17. Equidem Dominus Lipski Cent. 1 observ. 65. n. 10. contra interpretes juris Saxonici objicit, fratrum filios patris defuncti præferri, non propter Jus repræsentationis (utpote quod eo casu ipsis competere negat) sed quod

quod hæreditas pleniori Jure debeatur *descendentibus*, quam *ascendentibus*; adeoq; hoc dispositioni Juris Culmenfis pariter obstare videtur. Verum eleganter Huberus in prælect. *loc. cit.* respondet: hanc rationem haud quidem ineptam esse, quæ Juri statuto circumdatur, at stabiliendo minime esse sufficientem. Nos de Jure quidem civili illam bene procedere arbitramur, ob textus supra citatos; modò ne *ultra fratrum liberos* extendatur, ast de Jure Culmenfi eadem contra expressam legem nihil operari poterit.

§. VII. Secunda diversitatis ratio consistit in *modo computandi quoad Unilaterales*. Licet enim Jure quoque Civili duplici utentes Jure excludant eos, qui uno solo uti possunt *Nov. 74. cap. 1. in fin.* id tamen *ultra fratrum liberos* pariter non observatur; at *Jure Culmenfi Unilaterales* semper *gradu remotiores* reputantur: *Sie treten allemahl ein Grad weiter/ arg. lib. 3. tit. 9. cap. 13. Dn. Hopp. cit. loco. it. Dn. Ernest. von der Linden Dissert. Jurid. 2. cap. 3. n. 7. 8. & seqq.* quod pariter receptum est *Jure Saxonico communi. Stryck. cit. l. cap. 3. §. 6.* Secus tamen *Jure Magdeburgensium* constitutum esse testatur Schubæus in *Tr. von Erbschafften / Tit. von Erben der Seiten Einien / rubr. Sachsen Recht. §. Wenn aber.* ubi dicit: *nach Magdeburgischen Weichbild wird die halb Gebuhr nur ein halb Glied weiter gesetzt.* Id quòd assertioni nostræ non parum obstare videtur cum supra §. 3 probatum à nobis sit, *Jus Culmense* nihil aliud esse, quam *Jus Magdeburgicum*; ergò potius juxta hujus Juris dispositionem statuendum foret, *unilaterales saltem dimidio gradu remotiores haberi*, præsertim cum id disertis verbis sancitum reperiatur in *Jure Culmenfi*, quod Mf. asservatur in *Bibliotheca Wallenrodiana, quæ hic Regiomonti in templo Cniphosiano habetur sub Num. 3. ubi lib. 3. cap. 40.* postquam sancitum fuisset, fratres unilaterales excludere liberos
bila-

bilateralium, hæc subnectitur ratio: *Aus Urfachen / dass man die halbe Gebuhr nicht voll in den dritten Grad rechnet / sondern mit einem Fuß hinein.* Verum respondetur Jus Magdeburgicum Prussis instar privilegii concessum esse, ita ut nullatenus coacti fuerint, traditis illius Juris omnino quoad omnia puncta inherere. Expressè enim Casimirus Rex incolis Prussiarum facultatem concessit de uno Jure in aliud, sine tamen aliorum præjudicio, transmigrandi *vid. Privilegia Prussiarum fol. 10.* Cum ergo Jus Saxonicum commune hæc in parte à Jure Magdeburgico discrepet, licitum fuit Prussis, repudiata Juris Weichbildici sanctione, placita speculi Saxonici ceu antiquioris recipere, siquidem Jus Magdeburgensium Prussos, extra Jurisdictionem ipsorum longè remotos non sua naturam obligat, sed quatenus receptum est. Præterea superius eodem §. 3. à nobis monitum fuit Prussos non modo in nonnullis patrios mores retinuisse, sed in materia hereditatum præcipuè Jure flamingicali usos fuisse, ut adeo ex Jure Magdeburgico contra expressos Juris Culmensis textus non satis firma necti possit consequentia. Locum illum ex Jure Culmensi Bibliothecæ Wallenrodianæ quod attinget, notandum est, Dominos Commissarios ex utraque Prussia ad corrigendum Jus Culmense delegatos, circa compilationem hujus correctionis Heilsbergæ instituta (cujus exemplar in Bibliotheca Wallenrodiana extat, & ex quo locus obstant desumptus est) inter se non convenire potuisse. Ideoque licet postmodum Prussia Orientalis (quæ tunc Ducibus suberat) incolæ assidue sollicitarint, ut illa typis excriberetur, illud tamen à Rege Poloniæ impetrari non potuit, sed tandem ipsis permissum fuit proprium aliquod Jus sibi concinnare. Hartknoch *in Diss. de Jure Pruss. §. 19. & seqq.* Prussia verò occidentalis seu Polonica in hac correctione Heilsbergensi nunquam acquievit, quin potius postmodum
varia

9
variae adhuc editiones & correctiones Juris Culmenſis prodie-
runt, adeo ut illa Doct. Heſii, quã nunc maximam partem
Prusiæ, quæ Poloniſ ſubeſt, uti diximus, octava numeretur.
vid. Hartknoch. *cit. loc.* Igitur huic tanquam multo recen-
tiori merito ſtandum erit.

§. VIII. Quid verò obtinebit, ſi frater unilateralis cum
bilateralium liberis concurrat, hi enim juxta computationem
præced. Sphi in eodem gradu ſunt conſtituti, an ergo ſimul
quoque ad ſucceſſionem vocabuntur? Non credo, diſertè
ſiquidem contrarium ſtatuitur Jur. Culm. *l. c. cap. 12.* *Stir-*
bet einer und läßt ſeinen Halb-Bruder und ſeines Bru-
derſ Kind von voller Gebühr / ſo ſoll der Halb-Bruder
vor des vollen Bruders Kind zum Erbfall der nächſte
ſeyn. At quomodo hæc cum traditis noſtris cohærent?
Certè ſi conſideretur, fratrum bilateralium liberos Jure Ci-
vili unilateralibus fratribus præferri, Jure autem Saxonico iis-
dem adæquari, fatendum eſt, hic ſingulare quid ſubeſt;
idem fatetur Jus Culmenſe, quando Verbis modò citatis ſtatim
ſubnectit und ſoll ſolches allein von dieſem und keinem
andern Fall in weiterem Gradu verſtanden werden / nach
alter hergebrachter Gewohnheit. Nec aliter ſtatuit Do-
minus Erneſt. von der Linden *Diff. 2. cap. 2. n. 32.* aſſerens:
Iſt alſo nach unſerm Culm / daß der Halb-Bruder des
vollbürtigen Bruders Kindern vorgezogen wird / ein
ſingulare quid, und privilegium perſonæ, & gradus illius, quod
ad ulteriores Collaterales à fratre ex uno latere juncto progenitos
extendi nequaquam poteſt.

§. IX. Ne autem opus habeamus ſuppeticas expetere à
lege 20. ff. *de legib.* quæ docet, non omnium quæ à majoribus
tradita ſunt rationem dari poſſe, inquirendum jam nobis erit,
quo fundamento memorata Juris Culmenſis ſanctio inſtitatur.
Accuratius verò illud evolventi innotefcit duplicem collate-
rarium

ralium ordinem hoc Jure constitui. In *primo* ordine locantur fratres tam bilaterales, quam Unilaterales, in *secundo* remotiores ex latere cognati locum obtinent. Luculenter enim distinguitur, an fratres aut sorores, extent, nec ne, ob das Erbe verschwestert / oder verbrüderet ist / oder nicht quando *lib. 3. tit. 9. cap. 10.* dicitur: Wenn sich ein Erbe verschwestert oder verbrüderet / alle so sich gleich nahe zur Sibbe ziehen mögen / die nehmen gleichen Theil daran / es sey Mann oder Weib: tunc verò dicitur dass das Erbe verschwestert oder verbrüderet sey / si nulli fratres nec bilaterales nec unilaterales adsint. *Ern. v. d. Lind. cit. loc. n. 32.* Licebit ergò à contrario sensu hoc in casu bene argumentari: si tum demum reliqui collaterales secundum gradus proximitatem admittuntur, quando nulli fratres aut sorores adsint, sequitur quam diu aliquis ex illis sive *bilateralis* sive *unilateralis* superest, reliquos omnes excludi vid. *Schubaus. cit. loc. rubr. Culmisch Recht. §. Wann aber Halbgebrüht.* Neque id insolitum quid haberi debet, cum ferè simile quid reperiat in Jure Civili, utpote quod longe aliò modo fratres eorumq; liberos ad successionem vocat, quam reliquos collaterales remotiores, in quibus nec *Jus representationis*, nec *duplicitas vinculi*, nec *respectus descendendum* attenditur, cum tamen hæc omnia prioribus competant; id modo discriminis subest, quod ordo ille Collateralium privilegiatus Jure *Culmensi* non usque ad *fratrum liberos*, prout Jure *Civili*, sed ad *solos fratres* bilaterales & unilaterales extendatur.

§. X. Quamvis igitur fratrum liberi cum fratre unilaterali in eodem gradu sint constituti, quia tamen hic in ordine magis privilegiato locum suum obtinet, hinc merito illis præfertur. Non enim semper, qui parem gradum cognitionis obtinent, pariter quoque ad Successionem vocantur, fed

sed proximior sapè à remotiore excluditur, §. 1. *Inst. de servili cognatione*, si scilicet alter ordine potior sit. Accedit naturalis ratio quod frater ex uno latere junctus sanguinem magis communem habeat cum defuncto; quam fratrum liberi, denn ja des Brudern Kinder nicht mit dem Bruder selbst unter einem Herzen gelegen oder auch auß eines Vaters Lenden und Blut gezeigt worden. Ernest. v. d. Lind. *cit. loc. n. 37.* Schubæus *cit. loc.* Quæ verò communiter suppeditari solet ratio, quod ideò unilateralis frater præferatur, quia uno adhuc pede stipitem tenet, weil er noch mit dem halben Bande den Stamm hält / illa juri Culmensi non satis convenire videtur. Innititur enim *falsæ hypothese*, quod unilaterales uno pede hunc, altero alium gradum cognationis attingant, adeoque *dimidio* saltem gradu bilateralibus remotiores censeantur, quam sententiam supra §. 7. confutavimus.

§. XI. Proinde in Successione collateralium ante omnia attendendum est an fratres aut sorores adsint, nec ne; si adsint, primò locò succedunt bilaterales, post hos unilaterales, exclusis fratrum Germanorum liberis. Si nulli fratres adsint, indistinctè secundum graduum proximitatem in capita succeditur. Adeoque hic obtinet regula illa: *Qui prior gradu, potior & jure*, je näher der Sipp / je näher dem Erb / & si plures æque proximi concurrunt, æqualiter etiam capiunt hæreditatem, ita tamen, ut secundum superius deducta unilaterales semper gradu remotiores numerentur. Inde fratrum bilateralium liberi inter se omnes succedunt in capita. *vid. §. 5. hujus disput.* Si vero concurrant cum patruo defuncti bilateralis, cum eo simul succedunt æqualiter juxta tradita §. 6. Unilateralium verò liberi, tanquam gradu remotiores, à patruo bilateralis excluduntur.

§. XII. Magis tamen controversum est, an *patruus unilateralis æqualiter admittatur cum bilateralis patris filio*. Corre-

Aio Heilsbergensis, quæ extat in Bibliotheca Wallenrodiana patrum Unilateralem præfert patrii bilateralis filio. *lib. 3. cap. 41.* Ein Kind stirbet und läst seines Vatern Bruder enthalben / und seines Vatern Bruder Kind der sein ganzer Bruder voller Gebuhr war / wer Recht hat zu des todten Kindes Gut / hierauff gehet das Recht / des Kindes Gut soll fallen auff des Vatern Halbbruder alleine von Rechts wegen / quod similiter Jure *antiquo Culmensi Thorunii* impresso *lib. 4. cap. 81.* dispositum, & præjudicato quodam inter *heredes Jac. Heidemanni & Hutsfeldios corroboratum esse testatur Dominus Hopp. cit. loco Ernest, von der Linde cit. Diss. 2. cap. 1. num. 2.* His non obstantibus contraria sententia verior est, quod scilicet *bilateralis patrii filius cum patruo Unilaterali simul admittatur.* Licet enim de Jure *Civili* patruus unilateralis prior sit, quia tamen Jure *Culmensi* ex uno latere conjuncti secundum superius dicta semper uno gradu recedere coguntur, inde sequitur juxta Computationem Juris *Culmensis patrum Unilateralem cum patrii bilateralis filio pari gradu à defuncto differre*, & hinc pari quoque Jure ad successionem vocabuntur, id quod Jus Germanicum Revisum *lib. 3. tit. 9. c. 13.* disertè jubet. Ein Kind stirbet und läst seines Vatern Halbbruder und seines Vatern Bruder Kind / der sein ganzer Bruder voller Gebuhr war / sie nehmen des Verstorbenen Erb. Gut zu gleichen Theilen. Locum editionis *Heilsbergensis* quod attinet jam supra § 7. à nobis probatum est, illam per posteriores editiones antiquatam contra recentiora Jura non posse attendi. Illud saltem hic considerari meretur, quod locus in *hoc Spho* citatus ferè verbotenus excerptus sit ex sent: *Magdeburg. p. 1. cap. 7. dist. 17.* prout illa citata legi possunt apud *Dn. Ernest. v. d. Lind. l. c. cap. 1. n. 8.* Jus autem antiquum *Thorunii* editum, potius *Silesiacum* Jus esse, nec à *Sigismundo I.* pro vero Jure *Culmensi* agnitum fuisse patet ex *Hartknoch. cit. Diss.*

13

Diff. §. 19. Neque *præjudicatum* illud in causa *Hutfeldiorum* multum obstat, cum illud non modo ex erroneo Juris antiqui fundamento profectum, sed etiam contraria recentiorum temporum praxi invalidatum sit. *Hopp. cit. loc.* Ex modò dictis patet, simul quoq; admitti debere *patrui vel avunculi bilateralis filium cum fratris unilateralis liberis*, non obstante respectu descendentium & praxi antiquorum temporum. *Conf. Diff. sapius alleg.* Dn. Ernesti *p. d. Linden* ubi hæc quæstio ex professo tufius pro & contra ventilatur.

§. XIII. Notandum autem Collaterales Jure Culmensi succedere sine distinctione sexus & bonorum quâ in re differt quodammodo à Jure *Saxonico*, quod proximis agnatis masculis res expeditorias, *Heergeweth* dictas, cognatis verò *fæminis Geradam* potiori præ aliis hæredibus Jure assignat. *Stryck. cit. l. cap. 3. §. 1.* *Struv. exerc. 38. th. 37.* *Andreas Lipski Cent. 1. observ. 56. & 57.* Jus Culmense verò magis simplicitatem naturalis æquitatis amplectitur & nullam sexus diversitatem attendit. Qui enim tales differentias inducunt, naturæ quasi accusatores existunt, cur non *totos masculos* generavit, uti loquitur Imperator in *l. 4. C. de liber. præteritis*: licet autem in antiquioribus exemplaribus multa de *Gerada & Heergeweth* consignata reperiantur, illa tamen per incuriam compilatorum irrepserunt. Vid. *Hysing. in explicat. Juris Culmensis MS. in Cod. 1. Bibliotheca Wallenrodiana ad Clausulam lib. 4.* Quæritur verò si *Consanguinei & uterini concurrant*, ane tunc *distinctio bonorum* attendatur, ita ut in paternis consanguinei, in maternis bonis uterini præferantur? De Jure *Civili* anceps hæc quæstio est. Pro distinctione bonorum attendenda militant Dominus *Stryck. cit. loc. cap. 1. §. 22. seqq.* & *Struv. exerc. 38. th. 35.* provocantes ad *l. 13. §. 2. C. de legit. hered. & Nov. 84. c. 2.* Nobis contraria sententia probabilior videtur. Siquidem *Novella 84. cap. 2.* nihil novi hac de re disponit, sed

B 3

priori-

prioribus legibus standum esse jubet. Ast hæc omnes leges priores, & sic etiam *l. 13. C. de legit. hered.* sublatae sunt per *Novell. 118.* quoniam Imperator in principio hujus *Nov.* expressè omnes priores leges de successione ab intestato latas vacare & ea sola servari jubet, quæ nunc ipse constituit. Præterea hæc bonorum distinctio diversitatem agnatorum & cognatorum pro fundamento habet, quam Justinianus in *d. Nov. cap. 4.* penitus sustulit, & in omnibus successioneibus agnatorum cognatorumque differentiam vacare præcepit. Quare Jurinon satis consona sententia est, quod bona *pater-na consanguineis materna uterinis* debeantur. Huber. in *præl. ad Inst. Tit. de success. sec. Nov. 118. n. 12.* Suttholt. *Dissert. 11. §. 73.* De *Jure Saxonico* certum est illam distinctionem bonorum paternorum & maternorum non observari Stryck. *cit. l. cap. 3. §. 9.* ibiq; *cit.* Berlich *p. 3. Concl. 20. num. 11.* Schu- bæus *l. c. Tit. von Erben der Seit-Linienrubr. Sachsen Recht.* quod pariter de *Jure Culmensi* obtinet. Nihil enim in hoc reperias de discrimine bonorum quin potius *lib. 3. cap. 10.* (cujus verba §. 9. citavimus) sancitur proximum quemq; æquis partibus succedere NB. *sive mas sit sive femina, es sey Mann oder Weib* & sic etiam, sive ex patre, sive ex matre cognatus sit.

§. XIV. Denique non inutiliter quaeritur, *utrum Collaterales in infinitum succedant, an verò usq; ad certum saltem gradum?* Sunt, qui statuunt, illos *Jure civili* ultra *decimum gradum* non admitti, sed verior est sententia eorum, qui defendunt, collateralium successionem hodie post abrogatum discrimen agnatorum & cognatorum *in infinitum* protendi. vid. Stryck. *cit. l. cap. 1. §. 28. seqq.* Huber *cit. loc. n. 16.* Idem *Jure Culmensi* obtinere existimo, modo quis cognationem suam evidenter probare possit. Nullibi enim successio Collateralium ad certum gradum restricta deprehenditur, quin

quin potius in saepe cit. cap. 10. lib. 3. generaliter dicitur: Alle die sich gleich nahe zur Sibbe ziehen mögen / die nehmen gleichen Theil darant / & clarius adhuc lib. 3. tit. 10. cap. 11. Stirbet aber der Mann ohne Leibes Erben / so verfällt die Verlassenschafft an die hinterlassene Ehefrau die Helffte / und die andere Helffte an des verstorbenen Mannes nächste Verwandten NB. Wer die auch seyn. quicquid ergo leges nullis limitibus circumscripsere, id nobis limitare nefas, quanquam verendum est, ne plurimi ex privatis in probatione cognationis ultra decimum gradum remotæ deficiant. Jure quidem Saxonico cognatio collateralium in Septimo gradu expirat. LandR. lib. 1. art. 3. Contrarium tamen in joris observari testatur Dominus Hopp. in comment. ad Inst. Tabula de success. Collat. sub Jure Saxonicæ.

§. XV. Et hætenus dicta de successione collateralium qui ex justis nuptiis procreati sunt, intelligenda veniunt, pauca nunc quoq; de illegitimis subjungenda restant. Exat de his sequens juris Culmensis sanctio lib. 3. tit. 9. cap. 10. Ein unehliches Kind so keine Leibes Erben nach sich läßt / vererbet sein Gut ins erste auff seine Mutter / wo die noch im Leben ist / wäre aber vor ihme die Mutter durch den todt abgangen als verfallt sein nachgelassen Gut auff seine Brüder und Schwestern / hat es aber der Bruder und Schwestern auch nicht / alsdenn fällt sein Gut auff die Obrigkeit: ex quibus patet, quod illegitimo ex collateralibus nemo, nisi frater & soror, succedat, remotiores verò à fisco excludantur, cujus rei hæc videtur esse ratio, quod illegitimum legitimis fratribus simul ad successionem matris concurrant JusCalm. cit. l. cap. 4. quia igitur per horum concurrentiam fratrum legitimorum portio minuta fuit, æquum erat, ut ipsi in compensationem damni ad hæreditatem fratris illegitimi admitterentur, quod cessat in remotioribus cognatis. Unde ob reciprocam successio

cessionis naturam sequitur, ipsum *illegitimum* non nisi *matri*, *fratribus* & *sororibus* succedere, neutiquam verò ad *successionem remotiorum cognatorum* admitti, vid. Schubæus *cit. l. rubrica Culmisch Recht* ubi circa finem sic ait: Seynd auch unehliche Brüder oder Schwestern vorhanden/ so erben sie ihrer Schwester oder Bruders Güter nebenst ehelichen zugleich/ aber weiter als auff Brüder und Schwestern erstrecket es sich nicht. Secus de *Jure Civili* obtinet, ubi illegitimi eodem modo quo uterini legitimi omnibus cognatis ex matre æqualiter succedunt. *l. 2. §. itaq; & l. 4. ff. unde cognati*; modo non sint ex *damnato coitu* nati, utpote quibus Justinianus nec *alimenta* deberi asserit in *Nov. 89. cap. ult. in pr.* Conf. Andr. Lipski *Cent. 1. obs. 68.*

§. XVI. Porrò notari meretur de *Jure Culmensi* collaterales à successione per contrariam defuncti voluntatem non æquè in totum arceri posse, ac *Jure Civili* utpote quod fratrem penitus præterire permittit, modo ipsi non fuerit turpis persona prælata. *l. 27. C. de inoff. Test.* E contra Jus Culmenſe certam quoque *collateralibus legitimam* assignavit, & *quartam* ipsis bonorum Defuncti partem necessario relinquendam sancivit *lib. 3. tit. 8. cap. 16.* Will Jemand ein Testament ordnen der keine Erben in absteigender oder aufsteigender Linien hat/ der bedarff die Erben/ ob sie gleich Brüder seyn/ nicht einsetzen/ sondern ist schuldig den vierdten Theil des Guttes ihnen zu verlassen/ und so darüber gethan wehre/ so ist dasselbe unkräftig als es sich über den gebührenden Vierden Theil erstrecket. Notandum tamen est, illam quartam computari in dimidia parte bonorum communium, adeoq; detractâ prius altera dimidia, quæ conjugi debetur. Hopp. *in Comm. ad Instit. Tit. de inoff. Testam. in Usu moderno.* Hinc est quod respectu omnium bonorum communiter octava pars (der achte Schilling) relinquenda esse dicatur. Si quis tamen

7+10
7A → 22C
f

ULB Halle 3
004 598 555



1017





DVII.
17

DISSERTATIO JURIDICA,
DE
SUCCESSIONE
COLLATERALIU SECUN-
DUM JUS CULMENSE,

1706, 1

Quam
AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
Serenissimo atq. Excelsissimo Principe ac Domino,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE, ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.
Consensu amplissimae facultatis Juridicae,
IN ACADEMIA ALBERTINA,

Sub Praesidio
Viri Praenobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi
et Consultissimi
DOMINI JOHANNIS *Amseln*
J.U.D. & P.P. Judic. Criminalis Assessoris & Judic. Aulici
Advocari famigeratissimi,
Patroni & Praeceptoris Venerandi,
publicè defendit
JOHANNES PERSCHKE, Mariaeb. Pruff.
AUTOR.

IN AUDITORIO MAJORI
Die 17. Decembris Anno M DCCVI.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

